

A tergo: El humilissimo episcopo de li Armeni al reverendissimo signor missier Donato Leze, manda salute.

248 Liga potens et magnifica dominorum Helvetiorum vel Svierorum constat in duodecim partibus, quas aliqui cantones vocant. Aliquae sunt civitates, non quod habeant episcopum, sed quia apud Germanos omnia fere oppida civitates solent appellari ab unione civium.

Prima est civitas Iuricensis quam fluvius Lindnag ex contiguo lacu exiens in duas partes dividit: hæc potens est et plura oppida et castella sub se habet.

Secunda est civitas Bernensis omnium Helvetiorum potentior in quantitate comitatum, oppidorum, castrorum et vallum sibi subjectarum: habet fluvium dictum Aram, qui a majori parte circuit civitatem.

Tertia est civitas Lucernensis, cui etiam subiiciuntur oppida et certæ valles: hæc est contigua lacui qui a flumine Russio impletur: dividit in duas partes civitatem.

Quarta est Vallis Urania incipiens a monte Sancti Godardi usque ad lacum Lucernensem, per quam vallem ab eodem monte fluit amnis dictus Russia: et isti Uranenses possident ab antiquo in Italia Vallam Leventinam, quæ constat a monte Sancti Godardi usque prope Bellinzonam.

Quinta est Vallis Svitensis, a qua omnes Helvetii Svieri nunc dicuntur, et est contigua praedicto lacui Lucernensi.

Sexta est Undelwalden, quæ dividitur in duas partes dicendo: Undelwalden *supra silvam* et Undelvalden *sub silva*, juxta praedictum lacum: et quamvis hæc due partes quælibet particularitatem regatur, non faciunt tamen nisi unam partem in liga: hæc partes possident oppidum Vallensonæ munitissimum.

Septima est oppidum Zug demum, valle sibi adjacente: habet paryum lacum sibi contiguum, qui nomen loci habet.

Octava est Glarona Vallis qua nascitur flumen Lindnag praedictum.

Nona est civitas Basiliensis omnium praedictarum civitatum anterior, quæ etiam dividitur a Reno in duas partes: hæc sola inter partes Helvetiorum secundum episcopalem habet. Gloriosa profecto civitas, cui vix similis in toto imperio amoenitate loci reputatur.

Decima est civitas Fryburgensis, quæ dicitur

Inochslandia. Distat tribus miliaribus germanicis a Berna. Hæc inter Helvetios munitissima est: dividit Helvetios a Sabaudis: quasi in medio terrarum, quibus dominatione præest, situatur; utuntur Germanica et Gallica lingua; mirabilis . . . hujus civitatis est, cui similis non habetur. A majori enim parte 248* altissimis rupibus cingitur et circumdatur civitas, absque aliquorum murorum munitione. Flumen Savona appellatum, ex comitatu Gruevae ortum habens per civitatem transit; tribus pontibus transvehitur in aliam particulam civitatis.

Undecima est oppidum Solodorese antiquissimum: stat enim turris quedam vetustissima in medio oppidi sita, quæ per quingentos annos ante nativitatem Christi ædificata fore fertur, et quia temporibus Romanorum illa turris sola stabat forte ad exigenda vectigalia et gabella mercantiarum quæ super flumen vehebantur, ab eadem oppidi nomen . . . fuit, videlicet Solodorensis, quasi *sola turris*. Juxta hoc oppidum fluit praedictum flumen Ara a Berna veniens. Dominatur hoc oppidum multis castellis et vallibus.

Duodecima pars est civitas de Schafhusen juxta Renum sita in confinibus Sverorum, penes quos certas terras habet quibus dominatur. Dividit etiam eam Renus.

Et hæc duodecim partes præsunt omni populo Helvetiorum. Item, apud Helvetios est abbas Sancti Galli princeps, dominus multorum oppidorum et castellorum, et maxime habet sub comitatum de Toggemburg. Iste Abbas cum subditis suis perpetuo fœdere cum præfatis Helvetiis conjunctus est. Similiter et oppidum imperiale Sancti Galli, etiam Vallis de Appentiel sunt perpetuo confederati cum Helvetiis. Item populus Valensiensis, qui subiicitur episcopo Sedunensi; similiter et liga Curiensis aut liga Grisea etiam perpetuo fœdere cum Helvetiis annexati sunt.

Ex (*numero*) oratorum qui fuerunt Romæ, missi sunt ad Illustrissimum Dominum isti duo omnium aliorum cum domino Johanne Stafleo episcopo Sibinicensi, oratori et nuncio apostolico.

Johannes de Eylac . . . ex Lucerna.
Petrus Falcem . . . ex Friburgo.